



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 80. Vtrum, & qua prædesinitione Deus prædefiniat efficaciter actus liberos honestos creaturarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

Christi; Christus autem non potuit mereri seipsum, incarnationem, & omnia sua merita; ergo &c. Rursus neque primus effectus partialis prædestinationis potest cadere sub meritum. Probat, quia primus effectus prædestinationis est prima gratia ad merendum; sed hæc prima gratia non potest cadere sub meritum, cum sit principium omnis meriti; ergo.

12. Dicendum tertio: gloria, & secunda gratia ad merendum potest cadere sub meritum. Probat, nam gloria cum sit corona iustitiæ cadit sub meritum de condigno, iuxta illud Apostoli secunda ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ*. Rursus per merita antecedentia possumus de congruo mereri gratiā ad obtinenda merita consequentia, etiam finalem perseverantiam, iuxta illud Augustini de Bono Perseuerantiæ, cap. 6. ubi de perseverantia finali dicit. *Hæc Dei donum suppliciter emergere potest, sed cum datum fuerit, contumaciter amitti non potest*.

13. Si quærat, utrum per actus bonos naturales possimus de congruo mereri primam gratiam ad merendum, & ad exercenda opera supernaturalia; respondeo negativè ex dicendis in tractatu de gratia.

14. Dicendum quarto: proportionaliter effectus totalis reprobationis non potest cadere sub demeritum. Probat, nam effectus totalis reprobationis est tota negatio beneficiorum, per quæ reprobis saluaretur, includens etiam negationem gratiæ, per quam Deus videt, quod reprobis vitaret omnia demerita; sed reprobis non potest mereri totam illam negationem; siquidem non potest mereri negationem gratiæ, per quam vitaret omnia demerita, etiam si per primum demeritum possit mereri privationem gratiæ, per quam vitaret demerita posteriora; ergo &c.

15. Ad 1. nego maiorem. Sicut licet homo possit non mereri, ac proinde possit impedire suum meritum, non sequitur, quod possit mereri suum meritum, alioquin meritum posset mereri se ipsum: sic licet homo possit impedire suam prædestinationem, quæ est voluntas dandi homini omnia merita, non sequitur, quod possit mereri suam prædestinationem. Ratio est, quia sicut meritum non potest mereri se ipsum, sic non potest mereri, ut Deus velit ponere ipsum meritum.

16. Ad 2. nego similiter maiorem. Sicut enim homo licet possit non peccare, ac non mereri, ac proinde possit impedire suum demeritum, tamen non potest peccando demereri ipsum suum demeritum, alioquin meritum mereretur se ipsum; sic non potest peccando mereri, ut Deus permittat illud ipsum peccatum, & demeritum: sed reprobatio est voluntas permittendi omnia demerita; ergo.

17. Ad 3. distingo maiorem: merita finalia, ut conditionatè præuisa sunt causa finalis, ut Deus prædestinet, concedo: sunt causa

meritoria, ut Deus prædestinet, nego; & nego consequentiam. Deus videns merita, & gloriam dandam propter merita, prædestinat ad merita, & ad gloriam, ut sint merita, & gloria, non quia gloria, & meritum sunt; ergo merita ut conditionatè præuisa sunt causa finalis, non autem meritoria prædestinationis, ut magis explicatum est num. 8. & 9. Demerita ut conditionatè præuisa non sunt quidem causa finalis reprobationis, siquidem Deus non reprobat, ut habeat demerita, & damnationem, sed neque sunt causa meritoria reprobationis. Ut enim essent causa meritoria reprobationis, Deus deberet reprobare, quia demerita absolutè sunt; sed non reprobat, quia demerita absolutè sunt; ergo demerita non sunt causa meritoria reprobationis; ergo solum sunt conditio, ut Deus reprobandus, permittat demerita, cum Deus si non prævideret demerita ut conditionatè futura, illa non permitteret, nec posset permittere.

QVAESTIO LXXX.

Utum, & qua prædefinitione Deus prædestinat efficaciter actus liberos honestos creaturarum?

1. **V**idet, ut Deus non prædefinire, sed solum præscire nostros actus liberos honestos; primo quia Damascenus lib. 2. de Fide cap. ultimo dicit. *Opera pretium est agnoscere omnia præscire Deum, non autem omnia prædefinire, neque prædestinare. Præscit enim ea, quæ in nobis, non autem prædefinit hæc*. Lib. etiam contra Manichæos dicit. *Quæ cum ita sint, Deus ea, quæ voluntariè à nobis futura sunt, hoc est ea, quæ in potestate nostra sita sunt, nimirum virtutem, & vitium præscit, ea demum præfinit, quæ in arbitrio nostro minimo consistunt; ergo iuxta Damascenum Deus actus liberos etiam honestos solum præscit, non autem prædefinit*.

2. Secundò si Deus prædefiniret nostros actus liberos, eo ipso tales actus non essent nobis liberi; ergo &c.

3. Respondeo. quod idem est quærere, utrum Deus prædefiniat, seu præfinit actus liberos, & honestos creaturarum, ac quærere, utrum Deus ab æterno efficaciter statuerit, ac decreverit, ut creaturæ faciant actus liberos, & honestos, e. g. utrum Deus ab æterno non solum præsciverit. Sanctum Paulum converterendum, sed etiam decreverit efficaciter, ut converteretur.

4. Aliqui, quos tacito nomine refert Vasquez 1. p. disp. 99. cap. 5. n. 32. dixerunt Deum ab æterno non efficaciter decrevisse actus liberos creaturarum determinatè, & in singularem, sed solum indeterminatè, vagè, & in genere: e. g. Deus non decrevit determinatè, ut Sanctus Paulus converteretur, sed solum decrevit, ut vocatus faceret quod veller, paratus concurrere ad actum, ad quem Sanctus Paulus

ius

lus se liberè determinaret. Fundamentum fuit, quia patet ex prædeterminatione auferri libertatem actibus prædeterminatis.

5. Dicendum cum communi sententia: Deus ab æterno non solum præsciuit, sed etiam prædeterminavit, & efficaciter decrevit determinare, & in particulari cum omnibus suis circumstantiis omnes actus liberos, & honestos creaturarum. Pro hac sententia Ruiz de Providentia disput. 7. cap. 2. citat Sanctum Thomam, Sanctum Bonaventuram, Scotum, & omnes penè antiquos Scholasticos, & ex recentioribus Bellarm. lib. 1. de gratia, & libero arbitrio, cap. 12. Molinam 1. p. quæst. 14. artic. 13. disput. 14. & 18. Suarezium 3. p. disput. 37. sect. 3. lib. 3. de Auxilijs cap. 16. Vasquez 1. p. disput. 87. cap. 1. & disp. 99. cap. 5. Arrubaleum 1. p. disput. 63. & 66. & alios.

6. Probatur primò auctoritate. Nam Patres docent Deum ab æterno præscisse omnia nostra opera, non solum bona, sed etiam mala, opera autem mala solum præscisse, non autem prædeterminasse, opera bona non solum præscisse, sed etiam prædeterminasse, hoc est efficaciter decrevisse; ergo. Probatur antecedens, asserendo loca Patrum, Prosper ad cap. Gallorum, resp. 15. *Dubium non est sine ulla temporali differentia Deum, & præscisse simul, & prædeterminasse quæ ipse erant auctore facienda, vel quæ malis meritis insto erant iudicio retribuenda, præscisse autem tantummodo, & non prædeterminasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura; sed de fide est ex tractatu de Gratia omnes actus bonos, & honestos fieri Deo auctore; ergo Deus prædeterminat actus bonos.* Hæc verba Prosperi refert, & approbat Fulgentius lib. 1. ad Monimum, & in eandem sententiam præter alia plura cap. 24. dicit: *Deus itaque omnia opera hominum sine bona, sine mala præsciuit, quia eum latere nihil potuit; sed sola bona prædeterminavit, quæ se in filijs gratis facturum esse præsciuit.* Et paulo post subiungit: *Præsciuit enim omnes hominum voluntates, & malas, & bonas; prædeterminavit autem solum bonas.* Et cap. 29. propè finem dicit: *Puto in his dictis Augustini evidenter ostensum bona opera sua Deum prædeterminasse; sed nostri actus boni sunt opus Dei, iuxta illud Apostoli: Qui capit in vobis opus bonum perficiet; ergo Deus prædeterminavit, hoc est efficaciter decrevit omnes actus bonos creaturarum.* Libro etiam ad Monimum, cap. 74. dicit: *At primo totius bonæ voluntatis initium ab illa sempiterna Trinitate, quæ unus solus, & verus est Deus, & prædeterminatum conficimur, & datum; ergo Fulgentius docet omnia bona opera, ac ipsum initium bonæ voluntatis à Deo fuisse prædeterminatum, siue efficaciter decretum, ac prædeterminatum.* Videri possunt alij Patres apud Ruiz de Provid. disp. 9. sect. 3. & sequentibus.

7. Probatur secundò conclusio ratione. Nam Deus est prima causa per se, & ex intentione efficaci omnis boni; ergo omne id, quod est simpliciter, & absolute bonum, Deus causat per se, & ex intentione, ac voluntate effi-

caci illud causandi; sed actus liberi, & honesti creaturarum sunt simpliciter, & absolute boni; ergo. Hæc ratio desumpta est ex Patribus citatis, & præsertim ex Fulgentio lib. 1. ad Monimum, cap. 14. ubi tradit hanc regulam, ut illa dicamus à Deo prædeterminata, quæ iusta, & bona sunt, ac proinde Deo digna; illa autem, in quibus non inveniuntur bonitatem, dicamus solum fuisse præscita.

8. Inferitur Deum non solum de facto prædeterminare omnes actus bonos, & honestos, sed etiam implicare contradictionem, ut deatur aliquis actus bonus, & honestus, qui à Deo non prædeterminatur. Ratio est, quia nullum bonum simpliciter dari potest, quod non procedat à Deo tanquam à causa per se, & ex intentione; sed ut Deus causet per se, & ex intentione, debet causare ex voluntate efficaci talis boni; ergo. Confirmatur, nam si non potest in homine nasci capillus absque eo, quod Deus efficaciter velit illum nasci, multo minus potest in creatura rationali oriri actus liberi bonus, & honestus, absque eo, quod Deus efficaciter velit, & prædeterminat talem actum.

9. Hinc primò rejiciuntur aliqui, qui dixerunt Deum de facto prædeterminare omnes actus bonos, sed potuisse de potentia absoluta relinquere, ut fierent absque prædeterminatione. Secundo rejiciuntur illi, qui dixerunt de facto aliquos actus bonos fieri, Deo illos prædeterminante, aliquos fieri, absque eo quod prædeterminantur. Ex his Durandus in 1. dist. 47. q. 1. num. 6. docuit esse probabile quosdam actus moraliter bonos à Deo non prædeterminari, quod latius, firmitusque tradit Antonius à Corduba lib. 1. quæstionarij, quæst. 55. dub. 10. Suarez etiam lib. 2. de Auxilijs cap. 7. num. 11. & sequentibus, & lib. 3. cap. 17. num. 15. docet non esse prædeterminatos à Deo actus moraliter bonos, quando nec ad vitam æternam profunt, nec specialiter deseruiunt ad aliquem specialem finem providentiæ. Non deseruiunt etiam aliqui, qui dixerunt actus bonos prædeterminatos à Deo prædeterminari, actus bonos reprobos non prædeterminari. Contra omnes istas opiniones auctoritatibus, & rationibus allatis ostenditur, omnes omnino actus moraliter bonos, tum naturales, tum supernaturales, tum prædeterminatos, tum reprobos à Deo prædeterminari. Videri potest Ruiz de Provid. disp. 9. sect. 1. & sequentibus.

10. Posito, quod Deus ab æterno prædeterminat determinatè omnes, & singulos actus liberos moraliter bonos, quæritur, utrum talis prædeterminatio ordine naturæ sit prior, vel posterior actu libero, vel potius illum comitetur.

11. Primò Catherinus opusc. de Præscientia, & Providentia Dei, cap. ultimo, & alij relati à Vasquez 1. p. disp. 99. cap. 5. nu. 28. dixerunt prædeterminationem divinam esse consequentem actum liberum, eiusque præscientiam absolutam, ita ut prius natura Deus videat liberum arbitrium existens à Deo motum

se

se liberè determinare ad actum, deinde actum prædefinire, & decernat ad illum concurrere.

12. Reijcitur hæc opinio, primò, quia sequeretur, quod non ideo peccator conuertitur, quia Deus vult illum conuertere, sed ideo Deus vult peccatorem conuertere, quia videt illum conuertere; sed hoc licet concedatur ab aduersarijs, est absurdum, & valde derogat gratiæ diuinæ; ergo.

13. Secundò si prius liberum arbitrium se determinaret ad actum, deinde Deus concurreret, & prædefiniret actum, Deus daret auxilium post bellum. Rursus Deus non faceret, vt faciamus, sed liberum arbitrium faceret, vt Deus concurreret.

14. Tertiò nullus datur concursus causæ secundæ ad actum liberum, qui simul, & indiuisibiliter non sit à Deo; ergo non potest intelligi, quod in aliquo signo concurrat ad actum liberum causa secundæ, in quo ad illum non concurrat Deus.

15. Secundò Vasquez l.p. disput. 99. cap. 6. & 7. docet decretum efficax, quo Deus vult actus liberos moraliter bonos, nec esse prius, nec posterius natura actibus bonis, sed esse purè concomitans, ac proinde Deum prædefinire actus bonos prædefinitione priori quidem æternitate, sed natura concomitante actus bonos. Fundamentum est, quia existimat decreta libera Dei compleri per ipsas res volitas; ergo prædefinitio efficax actus liberi completer per ipsum actum liberum; sed actus liber non præcedit, neq; subsequitur se ipsum; ergo prædefinitio efficax actus liberi non est prior, neque posterior actu libero, sed ipsum purè comitatur, ac proinde simul natura. Deus, & creatura se liberè determinant ad actum liberum. Confirmat, nam existimat prædefinitionem antecedentem absolutam, auferre libertatem actui prædefinito; ergo prædefinitio non potest esse antecedens, sed debet esse purè concomitans actum liberum.

16. Reijcitur: nam sicut potentia proxima faciendi actum liberum est prior natura ipso actu libero, sic decretum dandi voluntati potentiam proximam faciendi actum liberum, est prior natura ipso actu libero; sed Deus in eodem signo, in quo ex directione scientiæ mediæ, qua videt, quod si dederit talem potentiam proximam, sequeretur actus liber moraliter bonus, decernit ponere talem potentiam proximam, decernit simul ponere actum bonum, illumque efficaciter prædefinit: Deus enim omnia simul, & in eodem signo decernit, vt dictum est quæst. 69. ergo prædefinitio efficax actus liberi est prior natura, quam actus liber, ac proinde non est purè concomitans. Falsum porro est decreta Dei libera compleri per ipsa obiecta volita, vt dictum est quæst. 58. ac proinde corrumpit præcipuum fundamentum, quo vritur Vasquez. Prædefinitio licet sit antecedens physicè, tamen est aliquo pacto consequens intentionaliter actum liberum, ideoque non aufert illi libertatem, vt

magis; explicabitur quæst. 86.

17. Tertiò alij docuerunt prædefinitionem, seu decretum efficax, quo Deus vult nostros actus liberos honestos, ita esse priorem natura actibus liberis, vt non dirigatur à scientiæ mediæ.

18. Reijcitur hæc opinio: nam si prædefinitio ita est prior actu libero, vt non dirigatur à scientiæ mediæ de tali actu vt conditionatè secuturo, actus sequitur ex tali prædefinitione necessitate omnino antecedenti, quæ aufert libertatem actui, vt magis explicabitur q. 81.

19. Quintò Authores Societatis satis communiter docent prædefinitionem, qua Deus efficaciter vult actus liberos honestos, dirigi à scientiæ mediæ de actibus liberis vt conditionatè futuris, ideoque ita esse priorem natura actibus liberis, vt sit etiam aliquo pacto posterior saltem intentionaliter, & ideo non aufert libertatem; & hæc opinio est vera: & probatur ex impugnatione aliarum sententiarum, ac magis explicabitur quæst. 86.

20. Verum ex laudioribus Societatis, qui docent Deum ex directione scientiæ mediæ prædefinire actus liberos prædefinitione, quæ sit prior natura actibus prædefinitis; Suarius, & alij asserunt Deum in priori signo per modum intentionis prædefinire ipsum actum liberum, puta conuersionem peccatoris; in signo posteriori decernere auxilia gratiæ, per quæ conuertatur. Alij è conuerso cum Molina in concordia, quæst. 23. art. 1. & 2. disput. 2. & art. 5. disput. 1. membro 8. docent Deum in eodem signo simul intendere, & efficaciter prædefinire actum bonum; simul eligere auxilia gratiæ, ex quibus per scientiam mediæ videt secuturum actum bonum, & hanc sententiam nos sequimur iuxta principia posita qu. 69. & 77.

21. Ex dictis sequitur Deum dum dat auxilia efficacia, intendere, & efficaciter velle ipsam eorum efficaciam, in quocumque tandem consistat. Nam de questione, in qua quaritur, in quo consistat efficacia auxiliorum, disputare non licet. Ratio à priori est, quia ex dictis num. 6. Deus id, quod est simpliciter bonum, non confert solum per accidens, & præter intentionem, sed cum intentione, & voluntate efficaci illud conferendi; sed quod auxilia sit & efficacia, est simpliciter bonum; ergo cum Deus dat auxilia efficacia intendit, & efficaciter vult ipsam eorum efficaciam.

22. Iam verò dupliciter potest intelligi Deum, cum dat auxilia efficacia, prædefinire consensum per talia auxilia; primò ita, vt sit paratus dare eadem auxilia, & permittere, dissensum, si videret illa auxilia fore inefficacia, & dicat e. g. Quia video, quod si dederò Petro auxilium A. Petrus consentiet, volo illi dare auxilium A. & volo, vt consentiat, & si viderem quod Petrus per auxilium A. non esset consensurus, vellem dare hoc idem auxilium, & vellem permittere, & dissentiret, & peccaret. Secundò ita, vt si videret illa auxilia fore inefficacia, sit paratus dare alia auxilia, quæ videret fore efficacia, & dicat e. g.

e. g. Quia video, quod si dederò Petro auxilium A. consentiet, volo illi dare auxilium A. & volo, ut consentiat; & si viderem Petrum per auxilium A. non consenturum, vellem dare aliud auxilium, cum quo consentiret, & vellem, ut consentiret.

23. Hoc posito, quæritur primò, vtrum Deus possit vtroque modo dare auxilia efficacia?

24. Respondeo affirmatiuè. Probatur: nam qui vult efficaciter finem per aliquod medium, per quod videat se obtenturum talem finem, potest finem illum velle, vel solum in quantum potest obtineri per illud medium, ita vt non velit ponere alia media, vel potest illum finem velle absolute, ita vt sit paratus ponere alia media: e. g. qui vult emere domum centum nummis, potest velle emptionem solum in quantum potest haberi centum nummis, ita vt non sit paratus dare, vel offerre plures nummos, quam centum, vel ita, vt sit paratus dare, vel offerre plures nummos, quam centum; ergo etiam Deus potest velle actum bonum, vel solum in quantum potest hic, & nunc obtineri per hæc auxilia, ita vt si videret hæc fore inefficacia, noller ponere alia auxilia, vel absolute, ita vt si videret hæc auxilia fore inefficacia, vellet ponere alia auxilia; ergo possibilis est vterque modus dandi auxilia efficacia, & prædefinienti actum bonum.

25. Quæritur secundò, an Deus vtrolibet modo conferret auxilia efficacia, conferret cū speciali beneuolentia, cum qua non potest conferre auxilia inefficacia?

26. Respondeo affirmatiuè. Probatur: nam voluntas efficax dandi actum bonum est magis beneuola, quam voluntas solum inefficax dandi actum boni; sed vtrolibet modo Deus conferat auxilia efficacia, confert illa cum voluntate efficaci dandi actum bonum; auxilia autem inefficacia non potest conferre cum voluntate efficaci, sed solum cum inefficaci dandi actum bonum; ergo &c. Addo Deum maiori beneuolentia conferre auxilia, si conferat paratus conferre alia, si videret hæc fore inefficacia, quam si conferat paratus eadem conferre, si videret fore inefficacia. Ratio est, quia qui finem ita vult per hæc media, vt sit paratus ponere etiam alia media, si hæc forent inefficacia, magis amat finem: e. g. qui ita emit domum centum nummis, vt sit paratus emere, etiam ducentis nummis, magis amat domum, quam si ita emit centum nummis, vt non sit paratus emere ducentis nummis.

27. Quæritur tertio, vtro ex duobus modis explicatis Deus de facto in præsentī prouidentia conferat auxilia efficacia?

28. Respondeo, quod Deus de facto confert auxilia efficacia, daturus alia, si videret hæc fore inefficacia; & quod prædestinatis confert auxilia, cum quibus videt ipsos saluandos, daturus alia auxilia, si videret illos per hæc auxilia non fore saluandos.

29. Probatur: nam cum finis moraliter

est æquè expetibilis vt habendus per hoc medium, ac vt habendus per alia media, qui vult efficaciter finem per hoc medium, si videret hoc medium fore inefficax, regulariter est paratus ad ponendum aliud medium, quod videret fore efficax, & per quod finis moraliter est æquè expetibilis: e. g. si domus moraliter est æquè expetibilis vt emenda centum nummis in numerata pecunia, ac vt emenda datione frumenti valentis centum nummos, qui vult efficaciter domum emere centum nummis in numerata pecunia, si videret oblationem centum nummorum fore inefficacem ad domum emendam, oblationem frumenti fore efficacem, regulariter est paratus domum emere etiam frumento; sed Deus cum efficaciter vult actum bonum per auxilium A, videt se posse obtinere actum bonum per alia infinita auxilia, per quæ moraliter actus bonus est æquè expetibilis ipsi Deo; ergo.

30. Hinc patet disparitas ad exemplum ementis domum centum nummis, qui sapè non est paratus emere domum ducentum nummis. Ideo enim regulariter qui emit domum centum nummis, non est paratus emere ducentum nummis, quia domus vt empti ducentum nummis est multo minus expetibilis, quam vt empti centum nummis; sed Deus habet plura auxilia, per quæ actus bonus est ipsi æquè expetibilis, ac per auxilium A. ergo &c.

31. Inferitur Deum cum vult actum bonum per auxilia ordinaria, quæ videt fore efficacia, semper esse paratum ad volendum actum bonum per alia auxilia ordinaria, per quæ moraliter est æquè expetibilis, non autem ad volendum actum bonum per auxilia extraordinaria, quia actus bonus vt habitus per auxilia extraordinaria est minus expetibilis. Concedo tamen Deum aliquorum salutem, quos extraordinariissima beneuolentia prosequitur, ita velle, vt sit paratus ponere media etiam extraordinaria miraculorum &c. si videret media ordinaria fore inefficacia.

32. Confirmatur, nam licet Deus propter libertatem eligendi vnum præ alio omninò æquali possit absolute velle salutem alicuius prædestinati vt habendam per hæc numero media, ita vt non sit paratus velle per alia media, per quæ est æquè expetibilis, tamen dignius sentimus de diuina beneuolentia erga prædestinatos, si dicamus Deum cuiuslibet prædestinati salutem ita velle per hæc media, vt sit paratus ponere alia, per quæ esset æquè expetibilis, si videret hæc fore inefficacia; ergo ita dicendum est.

33. Inferitur prædestinationem includere æternam, & specialissimam dilectionem, electionem, & discretionem prædestinatorum, Probatur: Deus enim specialiter diligit eos, quibus efficaciter vult conferre bona specialia; si verò talia bona velit conferre aliquibus præ alijs, vt per ipsa discernantur ab alijs, eo ipso aliquos præ alijs eligit, atque discernit; sed Deus

Deus per suam aeternam prædestinationem prædestinatis conferre vult non solum potentiam ad merendum, perseverandum, & consequendum salutem, sed etiam ipsa merita, ipsam perseverantiam, & ipsam salutem; hæc autem non vult efficaciter conferre reprobis; ergo Deus per suam aeternam prædestinationem prædestinatos specialissimè diligit, eligit, & discernit à reprobis; ideoque Apostolus ad Ephesios 1. dicit: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: 1. ad Corinthios 4. *Quis te discernit: quid habes, quod non accepisti?* Quo testimonio Augustinus redarguit Pelagianos, & Semipelagianos dicentes, sanctos discernere se ipsos per omnia, vel saltem aliqua merita, quæ non acceperint à Deo.

34. Ad 1. desumptum est auctoritate Damasceni, respondeo verbis Sancti Thomæ 1. parte, quæstione 23. art. 1. ad primum. *Dicendum, quod Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminate ad unum. Quod patet ex eo, quod subdit. Non enim vult malitiam, neque compellit ad virtutem: unde prædestinatio non excluditur. Deus igitur non prædeterminat, neque prædefinit actus liberos prædefinitione necessitante: & quia prædefinitio, quæ non dirigeretur à scientia media, esset omnino antecedens actum liberum, adeoque ad illum necessitaret, ut dicitur quæst. 83. ideo Deus non prædefinit actus liberos prædefinitione non directà à scientia media. Prædefinit tamen illos prædefinitione directà à scientia media, quæ proinde non est omnino antecedens, sed aliquo pacto est consequens, ideoque non necessitat, ut explicabitur quæst. 86.*

35. Ad 2. distinguo maiorem: si Deus prædefiniret nostros actus liberos prædefinitione omnino antecedenti, tales actus non essent nobis liberi, concedo: si prædefiniret prædefinitione aliquo pacto consequenti, tales actus non essent liberi, nego; & distinguo eodem pacto consequens. Prædefinitio aliquo pacto consequens non aufert libertatem actui prædefinito; sed Deus prædefinit actus liberos honestos prædefinitione aliquo pacto consequenti; ergo non aufert illis libertatem.

QVAESTIO LXXXI.

Utrum Deus prædefiniat, an solum permittat actus liberos moraliter malos?

1. **V**idetur Deus non solum permittere, sed etiam efficaciter prædefinire actus moraliter malos, & peccaminosos. Primò enim Deus in Scriptura dicitur inducere ad malum, mentes vertigine percutere, spiritu soporis inebriare, incutere amentiam, obdurare corda; sed hæc omnia significant Deum prædefinire actus malos; ergo &c.

2. Secundò Deus est causa per se, & ex in-

tentione omnis boni; non solum moralis, sed etiam physici: sed peccatum, ex. gr. odium Dei est actus physice bonus, licet sit malus moraliter; ergo. Confirmatur: nam de ratione boni non solum moralis, sed etiam physici est, ut non possit dari, nisi Deo volente; ergo actus peccaminosus, in quantum est physice bonus, dari nequit, nisi Deo volente, & illum definiente.

3. Tertiò Deus non potest concurrere ad ullum effectum, nisi volens concurrere: sed Deus concurret ad actum peccaminosum, puta ad odium Dei; ergo vult concurrere; sed concursus identificatur cum actu peccaminoso; ergo Deus volendo concursus, vult, & prædefinit ipsum actum peccaminosum.

4. Quartò Deus potest per suam omnipotentiam physice concurrere ad actum peccaminosum, puta ad odium Dei, non in quantum est actus moraliter malus, sed in quantum est physice bonus; ergo Deus potest per suam voluntatem efficaciter velle, & prædefinire actum peccaminosum, puta odium Dei, non in quantum est moraliter malus, sed in quantum est physice bonus. Nam quod est obiectum diuinæ omnipotentiae, potest esse etiam obiectum diuinæ voluntatis, ut id efficaciter volentis.

5. Quintò Deus potest prædefinire actus bonos, salva eorum libertate; ergo potest etiam prædefinire actus malos, salva eorum libertate.

6. Respondeo plures fuisse errores Hæreticorum, & opiniones Catholicorum. Primò ergo ex hæreticis, ut ex Vincentio Lirinensi refert Bellarminus lib. 2. de Amissione gratiæ, & statu peccati, cap. 1. Simon Magus licet apertè non docuerit Deum velle, aut imperare, & etiam efficere mala, & peccata, tamen ea ratione Deum peccatorum nostrorum causam esse asseruit, quod eam naturam nobis dederit, quæ non possit non peccare.

7. Secundò Cerdonistæ, Marcionistæ, Manichæi, Priscillianistæ, & Albigenes, qui diversis temporibus asseruerunt dari duo prima principia, & veluti duos Deos, alterum bonum, alterum malum, docuerunt Deum non quidem bonum, sed malum esse primariam causam peccati, & quæ cogat homines ad peccandum.

8. Tertiò primus, qui expressè docuerit Deum, & bonum Deum esse auctorem peccati, & omnium scelerum, fuit quidam Florinus, qui ex Montani discipulo per novum hoc dogma Hæresiarca fieri meruit, & idcirco ab Irenæo apud Eusebium Cæsariensem lib. 5. Histor. cap. 20. plusquam hæreticus nominatus est. Errorem Florini ab initio secuti sunt Lutherus, & Melancton, qui in capit. 8. Epist. ad Rom. dixit, sic esse opus Dei Davidis adulterium, & Iudæ prodicionem, sicut Pauli vocationem. Sed hunc errorem Lutherus, & Melancton deinde retractarunt.

9. Quartò Zuinglius, Caluinus, & Beza licet